

ter se in Conventibus à se institutis sine consensu Magistri et Ordinis laudare et exigere potuerunt. Schutz Lib. IV. fol. 179. b. quamvis huic consuetudini itidem contradixerint Cruciferi. Id quod post Incorporationem in tactum obtinuit, ut Prusii Contributionibus, quæ in Comitibus Polonicis laudabantur, ligari non potuerint, nec hodie possint, cum aliorum Decretis non teneantur. Schutz Lib. VIII. fol. 372. b. in fine fgg. et fol. 381. a. fin. Fœdera quoque cum exteris inire absq[ue] consensu Statuum Prusie Cruciferis non licuit. Schutz Chron. Lib. IV. p. 136. b. Porro in iudiciis exercendis magna itidem Prusorum libertas fuit, siquidem Jure suo Municipali, quod Culmense vocatur (præter Elbingensem, Braunsbergensem et Frauenburgensem Civitates, quæ Jus Lubecense receperunt.) usi sunt, et quando causa in Civitatibus decideri non poterat, appellationes instituebantur ad Iudicium Scabinale. Culmense, ubi finis liti imponebatur, absq[ue] ulla ad superiorem appellatione. Culma autem diruta, iudicium illo sublato mansit iudicium supremum. sine ulla provocatione in singulis Civitatibus, donec tandem appellationes fuerunt concessæ ad commune. sive generale iudicium Statuum. Schutz Lib. X. fol. 443. De quo Iudicio itidem Schutz Lib. IV. fol. 142. a. et Lib. V. fol. 106 fgg. et fol. 192.

Atq[ue] hæc sua Jura circa Iudicia et appellationes Prusii etiam post Incorporationis tempora prætendebant, neq[ue] appellationes ad aulam Regiam volebant admittere, donec a^o 1521. easdem admittere coacti sunt, criminalibus causis, alijsq[ue] specialioribus casibus exceptis Schutz Lib. X. fol. 479. Neugebauer Lib. VII. hist. Pol. p. 496. quod usq[ue] ad tempora Sigismundi III. obtinuit. vid. Faruszov. L. VII. Statut
 P. 111